



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædidit usq[ue] in annum
præsentem XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

Luther, Martin

Basileae, 1520

VD16 L 3411

Secvndvm Praeceptvm. Non Assvmes Nomen Domini Dei Tvi Invanvm.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34878

¶ ipsam nudam dei misericordiam, nequaquam opera nostra, quae sunt potius obie-
ctum, & ex quibus provenit desperatio. Christus nobis uixit, & meritum nostrum
est, si credimus in eum. Credentes autem in eo, iam non sibi uiuunt, nec sua me-
rita cumulant, sed Christo seruiunt, & uicissim Christo merentur. Sic enim Apo-
stolus docet Rom. xiiij. Siue uiuimus, domino uiuimus, siue morimur, domino
morimur, ipse spes nostra, & nos (ut ita dixerim spes) seu expectatio eius; sicut
filius est spes patris, & pater spes filij, cui omnia prouidit & thesaurizauit.

Quomodo autem de superbia rerum spiritualium dixi, ita & de corporalium
rerum superbia intelligatur, ut sunt diuitie, forma, gloria, potentia, fauor, ge-
nus, uoluptas, & similia. In his enim qui confidit & superbit, aliosque fastidit sui
dissimiles, manifestum est, quod haec sua facit, deosque rapit, & sibi in idola trans-
mutat. Quae si solius dei esse cognosceret, non distingueret inter se, & quem
libet perditissimum hominem, nihilque plus sese habere fateretur, nisi quod so-
lus Iesus Christus eius fiducia est. Sic fieret, si hoc praecipuum seruaretur, ut
nulla superbia, id est, nulla radix, nullum initium peccati, ac per hoc nulla
peccata essent, sed pax, amor, mititas, largitas, patientia, & omnium uirtutum
plenitudo: quod non in hac uita sperandum est, ideo semper manemus peccato-
res, & huius praecipui transgressores, solo hoc sacrificio salui, quod hanc trans-
gressionem non ignoramus, neque negamus, neque cum impijs uerbis malitiae in pec-
catis nos excusamus, sed confitemur, & gemimus auxiliu gratiae, & regni futuri
accelerationem. Qua humilitate meremur nobis ignosci, in his quae minus faci-
mus, sicut B. Augusti. ait, Omnia mandata implentur, quando quicquid non sit
ignoscitur. Ignoscitur autem confitentibus, quia humilibus deus dat gratiam.

Vnde caueda est illa perniciofa & adulatrix glossa, immo totius humilitatis
expultrix, & uastatrix, qua dicitur: Deus non requirit hoc praecipuum impleri in
hac uita, facit enim haec glossa securitatem nocentissimam, dissoluit manum, & remittit
gentem strenuorum bellatorum. Et est unum de puluillis, & ceruicalibus, quae
in Ezechiele damnat dominus nisi: sane intelligatur, scilicet quod non requirit
quidem ab his, qui ipsi a seipsis requirunt eiusmodi plenitudinem, & dolent, atque con-
fidentur sese non implere, & ideo festinant egredi, & cupiunt dissolui, ne sint diu-
tius cum peccato, & in obediencia huius praecipui, sed cum Christo & iustitia, &
plena obediencia praecipui, his in quibus non imputat nec requirit. Verum qui ipsi non
requirunt & exigunt a seipsis, sed consuunt sibi puluillos sub manibus, & sine
timore incedunt certi, quod non requirantur; ab his certe exigit usque ad nouissi-
mum quadrantem. De his dicit Psal. ix. Propter quid irritauit impius deum: dixit
enim in corde suo, non requirit. Qui enim non agnoscit se peccatum non de-
bere, quomodo se agnoscat esse peccatorem? Qui autem non agnoscit se pecca-
torem, quomodo timebit deum & iudicium eius? qui autem non timet, quomo-
do humiliabitur? qui non humiliatur, quomodo gratiam consequetur? qui gra-
tiam non consequetur, quomodo iustificabitur? qui non iustificatur, quomo-
do saluus erit?

Confidere in
corporalibus
rebus est im-
pietas.

Superbia re-
medium effi-
cacissimum.

Amoris praeci-
puum a no-
bis deus exi-
git totaliter, quod
non implere non
possumus.

SECUNDUM PRAECEPTUM.

NON ASSUMES NOMEN DOMI
NI DEI TUI IN VANVM

Q

Hoc praeci-

Hoc praeceptum, sicut & omnia alia fluunt ex primo; seruat enim primo & hoc facile seruat, immo seruat est. Quia ideo ponitur, ut cecitati nostrae manifestetur insipientia nostra; cum non esset necessarium, si Adam stetit, omnia enim illa scripsissemus. At nunc nec ipsa scimus, quae necessaria sunt foris fieri, nedum intus. Igitur in primo praecepto, cor & interior homo erga deum institutus est, in hoc os instituitur. Tribus enim rebus peccamus, corde, ore, opere, contra deum, ideo super singulo singulum est praeceptum, & sunt omnia tria negativa sive prohibitiua. Nec est in toto decalogo, nisi unum praeceptum affirmatiuum, scilicet, Honora patrem & matrem &c. Nam tertium, quod est, Sabbatum sanctifices, ipse dominus exponit negative, dicens Non facies omne opus in eo; quod & nomen indicat, sabbatum, id est, requies, id est, uacatio ab operibus. Nullum enim opus in illo praecipitur, unde & solum lectioni legis intendebant illo die. Igitur malum in omnibus prohibet, ideo & nullum aliud habet promissionem, nisi unum, scilicet affirmatiuum de honore parentum. Caetera uero, quia malum prohibent, poenam minantur.

Præceptū affirmatiuum tantum unum in decalogo. Sabbata sanctifica.

Ideo sicut qui corde non peccat, nec ore, nec opere peccat; Ita qui corde peccat, nec ore, nec opere iuste facere potest. Qui primum praeceptum non seruat, nec secundum, nec tertium seruat. Qui uero primum seruat, & secundum & tertium seruat. Non enim est metuendum, quod qui in deum suam fiduciam posuit, deum super omnia diligit, sperat, quaerit, sitit, nomen eius in uanum & irreuerenter nominet. Sicut non est timendum, quod subditus principem diligens, non etiam nomen eius uelit ubique clarum facere & habere. Unde & pro maiori parte, in primo mandato dicti sunt, qui contra illud peccant, scilicet duplicis generis homines rudissimi & stultissimi, per omnia similiter hic dicenda sunt. Hoc enim praecepto non prohibetur maledictio, nisi quando fit per nomen dei, sed nec blasphemia in hominem, nisi fiat per nomen dei, sed infra, Non occides.

Id autem in primis notandum, quod hoc praeceptum subindicat affirmatiue, nomen dei esse assumendum in os uere, uel in necessitate salutis, & quod solum ibi prohibetur, ne in uanum assumatur.

Unde in scripturis frequenter praecipitur nomen domini inuocari, laudari, confiteri, benedici. Sic Rom. ix. Omnis quicumque inuocauerit nomen domini, saluus erit. Videamus itaque primum rudiores, inter quos primo occurrunt superstitiosi, sortilegi, & quidam ex Iudaicis fabulis superstitiosa quaedam de nomine tetragramaton fingentes. Quod si nomen domini in uanum assumant, patet, quia nec ad salutem animae, nec ad gloriam dei assumunt nomen dei. Sed ad curiositatem suam, ad pactum daemonum, in signis, uerbis, gestibus, ut supra dictum est. Non enim id curant an salutem animae inde consequantur, multo minus an deus in hoc glorificetur, sed tantum ut suae satisfaciant concupiscentiae. Igitur sicut illi deum abiecerunt de corde suo, & uanum fecerunt in semetipsis contra primum; ita & nunc nomen eius polluunt in ore suo, & frustra assumunt.

Nomen dei assumendum tantum propter honorem dei.

Frustra autem & uanum dicitur, quod sine necessitate & causa fit. Est autem necessitas uel utilitas nominis dei assumendi duplex, scilicet salus nostra, & gloria dei, immo sola gloria dei, quia nec salutem nostram debemus per nomen eius quaerere nisi ad gloriam ipsius. Assumere autem intelligitur, ut cum aliquis sumit uel intendit facere, uel dicere, & ad hoc adhibet nomen dei. Sicut in corde assumit per fidem gratiam dei ad salutem suam, ita in ore assumit, per reuerentiam

am nomen dei, ad salutem suam & aliorum. De istis ergo satis persuasum est, ut abstineant in præcepto primo. Nec per hoc sese excusent, quia sancta uerba & orationes adhibent, cum per hoc magis turpiter peccent, ut in simili. Nonne furiosum putes eum qui sacris uestibus, officijs diuinis aptatis, ad choreas, spectacula uel bella procedat, & iocum huiusmodi ex eo serio faceret. Si ergo hunc grauissime reprehenderes, cur non multo magis reprehendis te, uel illum, qui sancto plus quam omnes uestes, immo quo sanctificantur & uestes & omnia, non ad choreas, sed ad stupra, ad dæmonica opera abutaris, uel saltem ad corporis salutem, cōtempta anima? Talis est ergo illorum excusatio, qualis est eius, qui sic sacris abusus corripitur, & dicit, Eia res tamen sacra & bona. Quid enim huic dicitur, quam illud, quasi ego nesciam eam esse bonam & sacram? hoc me nunc doces? cum ideo te arguam, quod sacris ita abuteris. At nos nunc ipsi sumus Christiani, qui calceos nouos ne polluamus, calopodia emimus, & uestes bonas nullo modo in lutum trahimus, nec aureis uasis cōtumeliā facimus cum urina, immo aqua immunda. At sacrum dei nomen ad quæcunq; indigna trahimus, sine omni fronte. Quod si hoc nullus in suis facit, finge aliquem ita furiosum, ut in suis id ipsum faciat, quid si de alienis, & eius qui uult sua munda haberi? Quamquam gratam rem faceret, qui principis titulum, & nomē & insignia ad lutum traheret, & inuolueret, ipso scilicet uidente & prohibente, immo præcipiente in sublimi loco statui? At nos cum audimus Turcas templa prophana re, altaria, & oīa sacra polluere, mire stupore accēdimur ad iram, & cogitamus iniuriam bello uindicare & querimur, quod principes non contra Turcam bellant; sed palpa sinum tuum, & Turcam palpasti. Interim deus eo magis in poenā, principes in mutua bella tradit, ut nos magis, quam Turcas puniat, quia peius polluimus sacra quam illi.

Iurandum te mere non est.

Turca quisque in sinu suo palpat.

Secundo, nobis occurrunt periuri, mendaces, dolosi, fraudulentī, & quicumque ueritatem relinquunt, ubi deum testē adhibent & nomen eius, immo & per deum maledicentes; iniuste excōmunicantes, iocosi quoque ac blasphemi in deum, de quibus supra aliqua dicta sunt, & infra plura dicentur. Hic uero uideamus qui iurando peccent in nomen domini. Notandum itaque quod duplex est iuramentum. Bonum, de quo Deus, vi. & x. Dominum deum tuum timebis, & ei soli serues, & per nomen illius iurabis. Ita enim deus ipse iurat sepius in Prophetis, dicens: Vivo ego dicit dominus. Et Psalm. cix. Iurauit dominus, & non poenitebit eum. & cxxxi. Iurauit dominus David ueritatē. Sic Christus iurat in euangelio, & patriarchæ, prophetæ, apostoli, & omnes sancti iurant, ac iurauerunt. Et hoc est opus meritorium, quia fit in ijs quæ pertinent ad salutē. Vnde quoties aliquis dicit uel facit, quod expedit ad salutem, ut credatur, ubi timetur non credi, debet iurari. Sic iurat Apосто. ad Roma. quod sæpe proposuit uenire ad eos. Quæ ratio iurandi? nisi quia expediuit eis id credere ad salutē, ut eum fidelē pastorem, non quæstuarium agnoscerent, & charitatē uerā in eo esse confiderent. Sic Psalm. lxiij. Laudabuntur omnes qui iurant in eo.

Iurare quicquid bonū & meritorium.

Ratio, quare hoc iurare placeat deo, quia per ipsum inuocatur ueritas eius, & creditur in eum, ac propter eum fit pax & concordia iurantium; ideo sancte colitur in eo opere, quia destruit opus diaboli, scilicet dissensio & lis. Quia qui tibi non credit, nec quiescit, propter nomē dei tibi credit, quod inuocas & qui fecit. Ideo hunc honorem soli deo debemus. Vnde Apóstolus Heb. omnis cōtrouersia finis est iuramentum.

Q ij

Aliud

**Iuramentum
malum ex cō
suetudine.**

Aliud est malū, Et hoc duplex. Aliud em̄ est quod ex cōsuetudine fit, & hoc est malum, quia sic uilescit assiduitate reuerētia nominis dei, Sic Teu. Bey Gor, werlich, fur war, als war als got im hymel ist, Bey gott vnd allen heyligen, per deum uiuum, per deum sanctum, auff mein teures creutz, auff mein teures bluot Bey dem creutz gottes. Es ist marter groß, marter schon, id est, per passionem Christi ita est. Itē sic detestari, der teuffel hol mich, brech mir den hals, got helff mir nymmer mer, als mir got helff, Auff mein feel, In conscientia mea, bey meiner treuw vnd eer, bey meiner priesterschafft. Ista & multa similia heu proh dolor, tam sunt assidua multis in ore, ut prope secundum uerbum sit iuramentū huiusmodi. Hic patres & matres familias uigilare super liberis, & seruis, ac familia deberent. Quia est pessima consuetudo, & contra hoc praecipuum.

Sed propter rudes quaeritur. An nomen dei tangatur, quando iuratur in haec uerba, uere ueritatem dico &c. Respondetur quod sic, Quia ueritas est nomen dei, cum ipse sit ueritas. Sic enim Apostolus iurat Ro. ix, per ueritatem & cōscientiam suam. Et quāuis hoc ideo possit uideri prohibitum, quia conscientia nō est nomen dei, cum aequae sit peccatum iurare uane, & non iurare per deum, seu per aliud q̄ deum etiam uere; tamen Christus Math. vii, hoc totum refert ad deum, quando dicit; Neq; per caelum, quia thronus dei est; neq; per terrā, quia sca bellum pedum eius; neq; per Hierosolymam, quia ciuitas regis magni est; neq; per caput tuum iuraueris, quia non potes unum capillum facere album aut nigrum. Ex quo patet, quod qui iurat per ea quae dei sunt, uel ei applicata, etiā per deum iurat; ex quo, in quo, per quem omnia sunt.

**Iuramentum
falsum etiam
hic punitur**

Alterum est iuramentum falsum, Vbi quis ex proposito iurat & scienter falsum, secundum formas praedictas, hoc est uehementer graue peccatum. Et raro transit hoc peccatum impunitum, etiam in hac uita. Quod si dubitas, interroga periuros. Sed grauissimum est, quando hoc fit in facie ecclesiae, cum sollemnitate & praescripta forma, ut faciunt cōtrahentes matrimonia clādestina, & in poenam peccati, postea odientes sese separantur periurio; horribilis culpa, sed horribilis & poena. Vnde inter omnia mandata, solum hoc habet additā poenae minationem, dicens; Nō enim habebit infontem dominus eum, qui assumpserit nomē domini dei sui frustra, licet & primum habeat comminationem, quod in quartā generationem uisitet iniquitates eorum qui oderunt. Sed quia Apostolus promissionem, quae in hoc continetur, non numerat, sed quae in quarto, quae dicit primam, ergo & haec comminatio primi praecipii non uidetur numerāda.

**Periurij gra
uitas late ostē
ditur.**

Et grāde peccatum est profecto periurium, quod primo patet ex detestatione scripturae, quia praecipit dominus in lege, nō peierabis. Et propheta uehementer periurium arguunt, unde Osa. iij, non est ueritas, non est misericordia, non est scientia dei in terra, maledictum & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, & sanguis sanguinem tetigit. Deniq; adeo sanctū id uoluit, ut etiam regi Babylonis non seruatum a Zedechia uindicaret. Itē nec Gabaeonitis licuit nocere, licet falsi ab eis iurassent. Item nec filijs Benjamin filias suas dari ausi sunt, propter iuramentum; & potius gētilem sanguinem permiserunt misceri fraterno sanguini, quam iuramentum soluerent.

Secundo ex re ipsa. Quia iurare est deum testem adhibere, & mediū, quo ununt sese discordes. At sic falso iurans, deum ludibrio exponit, immo quod horredum est, qn̄ dicit, Sicut deus est, uiuit, uerax est, corde dicit quod non sit ita uerum. Ac per hoc deum negat ore, immo & corde, quo consentit in negationem oris. Et

oris. Et ista negatio est pessima, quia scit deū esse, & corde credit, & tamē simul etiam corde consentit in negationem eius, quia non negaret foris, nisi uellet negare. Et tamen contra cor suum, & conscientiam negat; ideo grauissimū est hoc mendacium & directe contra deum, quia uult eum non esse, ut suum mendacium stet firmum.

Tertio a simili, Si principem permoueres, ut pro fide tua literas & sigillum suum appenderet, in tua causa, ut sic pro nomine eius tibi crederetur, & tu postea nequiter denegares, & principē in confusione relinqueres, quid putas de te cogitaret? An putas, quod fideiūssorem habeas? Aut si, ut adesset pacto tuo cum alio, rogares, & in faciem ueniētem neges esse principem, & proijcias? At deus quanta maiestas, solus dominus est.

Pro planiori intelligētia notandum, contra hoc mandatum in iuratione dupliciter agi. Primo, in iurādo. Secundo, in soluendo iuramento. Iurādo, ut qui scienter in actu peierant, dolose dicentes se facere quod nolunt facere, ut liberentur; uel negātes dolose quod sciūt, ut fit in negocijs, depositis, quæstionibus iudicialibus. Hi grauius peccant, q̄ supersticiosi illi, quia iij nomen dei assumunt in uanum, hi autem ad mendacium, quod longe grauius est; & hoc in negocijs sit potissimū, Psal. xxij. Nec iurauit in dolo proximo suo.

Soluendo, ut qui sine dolo quidem iurauerunt, sed tamen postea mutātur, & non solunt, quod in affirmatiōibus fit, ut Psal. xiiij. Qui iurat proximo suo & non decipit. Verum si non potest soluere, non ideo periurauit. At dicis, Quid? nisi iurem, damnū uel periculum, uel mortem incurrā, uidetur quod redimendus sim, ut si latro uel hostis cogit fateri quicquid habes. Respōdetur, Nullum peccatum est faciendum pro quacūq; re, neq; pro aeterna, quantum minus pro temporalis. At dicis, quis mihi reddet? Respondetur, deus, pro quo ueritatem dixisti. Sed non omnes casus huius monstri percēdere possum, quia uere hodie inundauit, & nihil curatur. O si paucitatem saluandorum attēderemus & timere/mus, q̄ cito ista securitas de salute cessaret a nobis.

Dicit itaq; dominus Math. v. Audistis, quia dictum est antiquis, Non periurabis, reddes autem domino iuramenta tua. Ego autem dico uobis, Non iurare omnino. Hoc loco sudatū est a multis, an liceat iurare. Et alij quod a malo peccat, alij a malo iurantem sit, si iuret. Sed inspiciendo Christi sensum, uult utiq; nequa q̄ iurari, quia dicit, Nō iurare omnino. Est ergo sensus, Iudæis præceptū est ne periuraret. iurare autem permissum est ad libitum, uobis autem præcipio nullo modo iurare, neq; per cælum &c. In quo utiq; hoc uult, ut nullus uoluntate sua iurare debeat unq; libidinem scilicet & uoluntatem propriam iurandi prohibuit, & inquātum in eo est, non debet iurare quis; ideo si ultra dicat q̄ est, est, non, nō, peccat, & malum est.

Per hoc tamen non prohibet, quin exactus iurare debeat quilibet fidelis, sive inquam exactus ui alterius, aut necessitate fratris. Quin potest ex me extorqueri uel hostis, uel amicus, ut iurem, ut faciam omnia quæ uult, dummodo sint licita; sicut dixit consequenter, quod auferenti pallium, & tunica dimittēda, & etiā alia duo milia passuum eunda. Iam enim non ipse iurat, quia non est suæ uoluntatis, sed seruit per humilitatem alienæ uoluntati, uel per charitatem alienæ necessitati. Cessantibus ergo ijs, nullo modo licet iurare, quin sit peccatū & a malo, quia ex mera uoluntate iurat sine necessitate. Christus enim eo in loco instituit hominem interiorem, qui non tantum periurium, sed etiam iuramentū uiuere debet. Iudæis prohibetur, ne fallum iurent, Christianis autē etiam ne uerū

Q iij iurent,

Periurū i cur
ris dupliciter

Mortis uitā
dæ causa non
est iurandum

Non iurandū
omnino.

Iuramēti cau
sæ licitæ.

iurent: quia perfectior & integrior esse debet honor nominis dei in noua lege, quam ueteri.

Secundo. Quia Christianus temporalia non debet amare, ideo propter ea non debet iurare. Quoniam qui non debet querere quae sua sunt, quomodo etiam pro eis iurare permittetur: pluris itaque nomen dei quam sua estimare debet, quod tunc apud Iudaeos dissimulatum est. Vbi uero alteri seruiendum fuit, ibi sine scrupulo, tamen cum timore dei, frater fratri tenetur facere, quae sunt pro eius necessitate facienda. Et ratio est prohibitionis, quia scit quod nos non assumimus nomen domini, nisi in uanum semper, praeterquam ubi in charitate & humilitate pro alijs, uel sua salute assumitur, quod fundamentum est huius prohibitionis. 1. Corinth. vii. Nemo potest dicere, dominus Iesus, nisi in spiritu sancto &c. Vel melius, Non iurare omnino, dicitur contra eos, qui effugium querunt, quia iurant, sed non per nomen domini, sed per caelum, terram, Hierusalem, caput animam quasi ideo non sint rei, si periurent, quia non per nomen dei iurant, ac sic iurare eiusmodi, quasi pro non iurare reputant. Quod haec sit mens Christi, uidetur ex hoc, quod statim secutus exponit, quomodo non uelit iurari omnino, scilicet neque per Hierusalem &c.

PRAECEPTVM TERTIVM.

MEMENTO VT DIEM SABBATVM SANCTIFICES.

Hoc est praecipuum meum, ut diligatis inuicem. Io. xv. Charitas plenitudo legis, ait Apostolus. Qua habita nulla est lex necessaria: sine qua nulla lex satis est. Igitur in hoc tertio praecipuo, iam opus praecipitur, immo quies, ut non offendatur deus operibus. Neque enim aliquid in eo praecipitur opus. Quare haec tria praecipua parant hominem deo, uelut puram materiam, ut quiescat corde, ore, opere, id est, interiori & exteriori, & medio homine, qui sunt sensualis, rationalis, spiritualis, & sit pura quies. Hic ante omnia duo notanda sunt.

Seruilia opera sunt opera peccati.

Primum. Quod sabbatum fuit Iudeis praecipuum in figura, sicut expresse significat Apostolus Colo. ij. Quae sunt umbra futurorum, corpus autem Christi. Unde opera seruilia seu manualia, cum sint utique bona, significant opera peccati, & illicita ueteris hominis. Nam sicut quaedam animalia erant immunda, tantum significatiue, in seipsis bona, munda, sana, quia creata a deo, & tamen immunda & mala significabant: Ita & opera corporalia, quae de se sunt bona, tamen prohibita sunt ad significationem futurorum, id est, malorum reuelandorum. Sic sabbatum significat ipsum spirituale tempus, quod sol iustitiae Christus illuminauit, quod non habet noctem. Unde Esaia. lxxvj. Erit mensis ex mense, Sabbatum ex sabbato. Et Apostolus Galatas arguit, quod dies & menses obseruarent, & tempora & annos secundum ritum Iudaicum, id est, externe tantum. Ideo istud praecipuum cessauit proprie immo omnia, quo ad perfectos Christianos, quia iusto non est lex posita.

Festi dies instituti propter imperfectos,

Veruntamen ecclesia festa retinuit propter necessitatem uerbi dei pro imperfectis, nam iustus uerus sic deiformis est, ut sicut deus indifferens est ad omnem diem,